



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

§. 8. De Simonia confidentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

- 72 Propter simoniam realem & completam in beneficio Ecclesiastico contrahitur excommunicatio Papæ reservata, & electio, Præsentatio, confirmatio irrita est, nihil obstante, quod electus prouisus, &c. id ignorauerit, excepto si in fraudem pecunia data fuerit vel si ille expresse contradixerit.
- 73 Simoniacè electus aut prouisus inhabilis efficitur, quominus per dispensationem Episcopi idem beneficium consequi possit.
- 74 Beneficium simoniacè obtinens aliis beneficiis ipso iure non priuatur, neque inhabilis fieri videtur ad alia obtinenda ante iudicis sententiam.

§. VIII.

De Simonia confidentialia.

- 75 **S**imoniam confidentialis quatuor sunt modi: Primus dicitur Accessus, habetque locum in eo, qui ad beneficii Ecclesiastici prouisionem concurrat eligendo, præsentando, aut confirmando, si id agat cum certa confidentialia, uellicet pacto aliquo interueniente, ut beneficium postea ipsemet, vel alteri v. c. nepoti ipsius resignetur. Secundus dicitur, Regressus, habetque locum in eo, qui renunciat beneficium in fauorem alterius, cum certa confidentialia quod postea tempore conueniente a ipsum renunciantem, vel aliam personam v. c. cognatum eius idem beneficium repressum sit. Tertius modus est, Ingressus, si aliquis beneficium sibi collatum sed nondum possessum renunciet eâ confidentialia seu pacto, ut postea eius possessionem iterum ingrediatur, si is, cui resignauerat, mortuus fuerit, vel Episcopus v. c. factus. Quartus modus locum habere potest, tam in renunciante, quam conferente, si illud

Illud alicui obuenire faciant cum pacto, vt ex eo pensio, seu pars reddituum ipsi renuncianti aut conferenti vel alteri personæ pendatur.

Simoniæ confidentiali plures pœnæ canonicæ 76 decretæ sunt. I. Episcopi & alii Prælati superiores interdictum ab ingressu Ecclesiæ, Inferiores autem pœnam excommunicationis sede Apostolicæ reseruatæ incurrunt.

II. Resignatio vel Collatio beneficii, in quo talis Simonia committitur irrita est, & prouisus inhabilis fit ad idem beneficium postea obtinendum, non tamen perdit ipso iure, quia renunciatio nulla est.

III. Inducitur Priuatio omnium beneficiorum ac personarum prius obtentarum, non tamen in conscientia per ipsum reum exequenda ante iudicis sententiam.

Mediator simoniam non incurrit censuram nisi 78 simonia ab vtraque parte tam accipientis, quam dantis completa sit.

§. IX.

De restituendi obligatione propter simoniacè accepta.

Qui simoniacè vendit, tradit rem spiritualem, in qua nullum temporale ius, vel commodum habet, acceptum precium restituere debet danti: Ratio, quia accipiens temporale precium pro re spirituali alteri communicata lædit iustitiam commutatiuam, non quod Ecclesiæ ministri non sint domini spiritualium charismatum & res spirituales precio æstimabiles non sunt, ergo debet parti læsæ restitutionem facere,

Nnn 5 Sicuti